

CLXX.

Anno 1501. die 17. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex Banum Slavoniae octavas in Regno Slavoniae secundum statuta ejusdem Regni celebrare jubet.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fideli nostro Illustri Johanni Coruino, Liphouie Duci ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, salutem et gratiam. Quia fideles nostri vniuersi domini Prelati, Barones et Nobiles Regni nostri Sclauonie celebrationem octavarum eiusdem Regni nostri ad vnicum terminum puta Epiphaniarum Domini reducerunt, statueruntque, vt in dicto termino quolibet anno octaue ipsis sine intermissione celebrentur, eo duntaxat casu excepto, si omnes illius Regni nostri Nobiles in propriis ipsorum personis cum Maiestate nostra in expeditione siue bello contra inimicos Regnorum nostrorum essent occupati; ob hoc Maiestati nostre per oratores suos ad nos missos humillime supplicarunt, vt hoc quoque anno non obstante absentia nostra octaue ipsis celebrari faceremus. Nos igitur volentes, vt iuxta huiusmodi ordinacionem et deliberacionem ipsorum ad futurum quoque festum Epiphaniarum Domini proxime venturum eisdem octaue celebrentur; mandamus fidelitati vestre harum serie firmiter, quatenus in dicto Regno nostro Sclauonie huiusmodi octaue in ipso termino celebrationis earundem, non obstante absentia nostra, more alias consueto ipsis celebrare siue celebrari facere modis omnibus debeatis et teneamini. Secus non facturi. Datum Bude feria quarta proxima post festum beate Lucie Virginis. Anno Domini Millesimo Quingentesimo primo.

(Sigillum Regium appressum)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 110.